OMNIUM MAGNITUDINUM

Haec quidem de quantitate quam secundum ad aliquid speculamur ad praesens dicta sufficiant.
Nunc autem in hac sequentia quaedam de ea quantitate quae per sese ipsam constat. neque ad
aliquid refertur expediam. Quae nobis ad ea prodesse possint. quae post haec rursus de re-
lata ad aliquid quantitate tractabimus. Amat enim quodammodo matheseos speculatio alterna
probationum ratione constitui. Nunc autem nobis de his numeris sermo futurus est. qui
circa figuras geometricas et earum spatia dimensionesque versantur. id est de linearibus
numeris et de triangularibus ut quadratis. ceterisque. quos sola pandit plana dimensio.
Necnon de inaequali laterum compositione coniunctis. De solidis quoque id est cybis et sphe-
ricis ut pyramidis. laterculis et vel tignulis. et cuneis quae omnia quidem geometricae propriae
considerationis sunt. Sed sicut ipsa geometricae scientia ab arithmetica velud
quadam radice ac matre producta est. ita etiam eius figurarum semina in primis numeris
invenimus. Planum vero fit quidem invenimus quod omnis disciplinas haec interempta cum sumeret.
quas minime constituta firmaret. Hoc autem cognoscendum est. quod haec signa nume-
rorum quae nunc quoque homines in summarum designatione describunt. non natura-
li institutione formata sunt. Ut enim quinarium subiectam notulam fingant. V
ut denarium quam descripsimus sic. X et alias huiusmodi non natura posuit. sed usus ad-
finxit. Quinque enim unos sic ut decem. ut quod libet aliis illis notulis per compendium notasse
voluerunt. ne quot unitates quis monstrasse vellet. totiens ei virgulae ducendae essent.
Nos autem quotienscumque aliquid monstrare volumus. in his praesertim formulis ordinaturum sin-
gularum multitudinem non gravatim adponere. Cum enim quinque volumus demonstrare.
facimus quinque virgulas ducimusque eas hoc modo. IIIII et cum septem totidem. Et cum decem
nihilominus quae naturalius est. quemlibet numerum quantitatis in se se retinet totum notabis
designasse. quam notulis. Est igitur unitas vicem obtinens puncti id est intervalli lon-
gitudinisque principium. ipsa vero nec intervalli nec longitudinis capax. Quemad-
modum punctum principium quidem lineae est. atque intervalli. ipsum vero nec intervallum est
nec linea. Neque enim punctum puncto suppositum ullum efficit intervallum. velud
si nihil nulli iungas. Nihil enim est. quod ex nullorum pertatione nascatur.